



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. XX. Ecquæ sit secundæ huius Legis Tabulæ summa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

Cap.20. E T H I C . C H R I S T .

te imprimis est colēdus. Quod etiam ab Ethni-
co homine sapienter dictum est.

Sed illa verba non tantū Deum omnibus
& singulis nostri, id est, hominis partibus dili-
gēdum, colendum, & venerandum significant:
sed etiam totis iis viribus, totōque eo conatu
& potestate, quæ in singulis inest. Ait enim sum
ma, *Totis viribus, toto animo*, id est, toto nisu
& virtute siue facultate, qua plurimū & maxi-
mè quæque pars nostri potest. Ergo non sicut
non perfunctoriè, non ad tempus tātūm: sed ve-
re, integrè, & perpetuò diligendus est Deus, ut
nihil sit in ylla hominis parte, quod nō sit Deo
dicatum, siue vires, siue opus, siue conatum, siue
affectionem, siue rem ipsam, siue vim & facultatem
cuius species. Et hæc est illorum verborum bre-
uis explicatio.



C A P . X X .

Ecquæ sit secundæ huius Legis Tabulæ summa.

Secundæ autem tabulæ hæc summa
est, Diliges proximū tuum sicut te-
ipsum, Matth.22. v.39. Leut.19.v.18.
In quo voce *ἀγαπᾷ* vtitur Scriptura,
quemadmodum in superiore capite, ubi de
Deo agit.

Hic autem maximè vera Christianæ charita-
tis natura est exponenda. Nam etsi vtraque Dei
& proximi dilectio à Dei spiritu inditur, infun-
diturque mentibus nostris, etsi vtraque sancta
est

est & cælestis, illa tamē superior quę est Dei dilectio, nō satis à nobis explicari potest. Omnem enim humanum captum superat. Cuius in nobis etiam exigui radij mirabiles tamen vires & effectus producunt, adeò ut nihil sit in nobis eo charitatis diuinæ sensu potētius & firmius, Roman.8.vers.37. Hæc autem proximi dilectio facilior explicatu est, & ad hominis captum accommodationis, quia nihil tam naturale est, quam hominem ab homine amari, id est, eundem penè à seipso. Facilius enim & oritur & sentitur in nobis, 1.Ioan.4.vers.20. Ergo quid sit videamus. Et hæc quidem proximi dilectio est, de qua etiam vide distinct. 2. de Pœnit.cano. Charitas. Thomas in 2.2ꝝ. quæst.23. & seq. August.li.1. De doctr.Christia.cap.23. & seq. Charitas siue dilectio Christiana est propter Dei gloriam idem sentire, velle & loqui, sancti verique alicuius finis gratia. Quæ definitio est per partes exponēda. Itē Charitas est vinculū perfectionis, vt ab effectu Paulus definit, Coloff.3.v.14.

Ac primum quidem in ea genus est hoc totum Idem sentire, velle & loqui, quia ita & Paulus definiisse videtur, 1.Corinth.i.v, 10. & Philip.2.versu 2. & communis omnium hominum vox. Aiunt enim, idem velle & nolle ea demum firma amicitia est. Itaq; eos, qui se mutuò Christianè diligunt, Paulus vocat συμφύχους & τὸ ἐπ φερεῖτας, Philipp.2.ver.2. & alibi οὐοδημασθεν vivere dicuntur iij, inter quos Christiana illa charitas viget, Actor.i.vers.14. & 2.vers.46. quasi in pluribus illis corporibus vna tamen & eadem anima viuat & moueat, & vna & eadem nu-

Cap.20. E T H I C . C H R I S T .

mero voluntas insit, non autem plures in illis.

Quod autem additur Idem eos loqui, qui se Christianè diligunt, non est superfluum. Neque enim tacitè tantum intrà se idem sentire & velle debent: sed etiam palam & apertè profiteri, quia tegi se & occultari non sinit tantus ille charitatis ardor, quin prodit se quacunque potest, ut & alterum ædificet, & indicium sui ostendat. Itaque obscuræ illæ & timidæ consensus & amoris nostri significationes, veræ Christianæ que charitati planè repugnât, quia Charitas me tum expellit e pectore. I. Ioan. 4. v. 18.

Additur autem, Sancti, verique alicuius finis gratia. Id quod est differentiæ loco in hac definitione. Neque enim melior à nobis potuit differentia afferri. Et meritò. Ex fine enim maximè Christiana charitas ab omni vel simulati affectus, vel vitiis, improbatique amoris genere distinguitur. Nam de omni re cuiuslibet finis gratia idem velle & loqui Christiana charitas non est: sed demum sanctè idem velle & loqui, Christiana dilectio nominatur. Sæpe latrones inter se coeunt: sæpe improbi inter se maleficiorum societatem contrahunt (quæ Malorum coitio propriè appellatur) propter quæ perpetranda idem volunt & loquuntur, neque tamen is consensus & voluntas Christiana charitas est appellanda. Non gaudet enim iniustitia charitas, neque illi consentit vñ quam, vt Paulus ait, I. Corinth. 13. vers. 6. sed iustitiae, qua delectatur. Itaque si rixæ, si cōtentionis nostræ tuendæ gratia cum alio consentimus, cīque adhæremus, neque hæc consensio animorum, charitas est: sed potius

potius illius tēterrīma pestis est, & labefactatio. Philip. 2. v. 3.

Neque vero sanctum tantum charitatis finem & diligentis animum esse oportet, sed etiam verum & syncerum, ut & nihil aliud diligat, quam quod amandum est, & siquid vitiosè amet, specioso praetextu non tegat. Nihil enim ficti, nihil simulati, nihil denique fraudis habet, sed omnia candida ex puro corde bonaq; & sincera conscientia Christiana charitas. I. Timothei. 1. vers. 5. Nam & illa solùm diligit quæ amanda sunt: & quæ fictè aut vitiosè optantur pulchro nomine, neque dissimulat, neque celat.

Est autem in vniuersum triplex finis, propter quem homines inter se mutuo consentiunt, Ni-

mirum vel
} Vitiosus & improbus.
Fictus.

Sanctus & verus, qui utriusque superiori contrarius est.

Ac improbus quidem siue vitiosus finis est, si quis maleficij, scelerisve committendi causa cum alio consentiat, qualis consensus est inter latrones, mœchos, adulteros, & alios improbos.

Fictus finis est, qui cum non sit ipse per se improbus, non tamen est is, propter quem alius alium diligere à Deo iubemur. In quo explicando diligenter obseruanda est Aristotelis optimi Philosophi sententia, qui lib. 8. ñd. Νέκουαχ. triclicem esse eum finem fictum ostendit. Est e-

Commodum & lucrum.
Honos.

Voluptas iocosa & ludicra, quam cōfstantur, qui ita amant: non autem cum, quem

P

Cap.20. E T H I C. C H R I S T.

amant, propter scipsum, aut eo, quo Deus iubet, animo diligunt. Itaque qui commodi, beneficij aut lucri ab eo, quem amat, percipiendi gratia diligit, is non vera Christianaque charitate diligit. Mercenariam enim charitatem, ac velut *παρηγόρη* meritoriam facit. Hæc ferè vulgi amicitia & dilectio est, Nam ut ait Poeta,

Vulgaris amicitias utilitate probat.

& illud eiusdem,

Cum fueris felix, multos numerabis amicos,

Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Quidam autem honoratores ob lucrum nō amant, neque ob commodum aliquod pecuniarium: sed laudari, coli, prædicari se ab iis volunt, quos diligunt: & eos idcirco amant, vt habeant laudum, beneficiorum, dictorum, factorumve suorum tubas & præcones. Sed neque ipsa est Christiana charitas, sed ethnica. Hoc modo ferè nobiliores, potentiores & doctiores amant ignobiliores, tenuiores, & indoctiores.

Deniq; quidam etiā ioci, ludique gratia diligunt, quod voluptatem ex tali homine, & eam quidem non improbam capiant. Hæc ferè puerilis amicitia est, & *λιτών*, id est, Simpliciorum hominum.

Hos fines non spectat charitas Christiana, sed cum solum, qui verus est, & propter quem Deus proximum, id est, alium esse diligendum tradit. Amat enim Christianus alium propter Deum, & propter eū ipsum quem diligit, quia is Dei imago est, & pulcherrimum Dei opificium. Nam Deus ita fieri præcipit, cui parere vult. *Ioan.15.v.12.1. Ioan.3.v.11.* Ergo non spe lucri diligit

ligit Christianus. Vnde fit, vt in eos maximè beneficium conferat, à quibus non sit receperetus, quales sunt pauperes, egeni, peregrini, viduæ, orfani. Iacob. 2. v. 6. Levit. 19. v. 34. Deut. 24. vers. 17. neque tantum in diuites beneficu est. Is. 58. v. 7.

Item quia neque laudis, neque præconij expectatione diligit, Matth. 6. vers. 3. etiam in hominem mutum, & beneficij immemorem, & ingratum promptus est, & liberalis Christianus. Psal. 7. vers. 5. Psal. 41. vers. 10. Psal. 55. vers. 14. Sic in Nabal ignotum Dauid beneficia contulit. 1. Samuel 25. v. 15.

Item quia voluptatem non spectat, etiam in eum largietur beneficium, & eum amabit Christianus, qui sibi infestus, morosus, infensus & molestus, atque adeo professus inimicus erit. Et hæc quidem de vero Christianæ charitatis fine.

Sanctus autem erit finis, si, quantū illæsa Dei maiestate licet, amabit. Plus enim, aut aliter diligere non licet. Roman. 12. ver. 18. Is igitur finis

Dei gloriam.
est sanctus qui & } Proximi edificationem, im
primis autem animę illius salutem in eo spectat. Quod quando fiat ex sacra scriptura discendum est. Est enim fides charitatis fons, origo & mater.

Ex quibus omnibus consequenter intelligi potest, quæ sint vera veræ Christianæ que charitatis effecta. Sunt autem duo, quæ Paulus 1. Corinth. 13. explicat fuisse quidem, etsi non omnino ordine: ad quæ duo capita præcipua, quæ co

P. ij.

Cap.20. ETHIC. CHRIST.

loco Paulus optimè tradit , omnia reuocabimus.Sunt autem illa duo , Concordia , & Benignitas, quæ vt nobis insint , & præstentur à nobis, quædam consecunda sunt , quædam etiam fugienda.Que vtraque in illo Pauli loco extant,

Ac Concordia quidem est verissimus charitatis effectus.Quid enim mutuę dilectioni & amori conuenientius , quam pax atque concordia? Quid autem nocentius , quam animorum diuortium atque discordia? Itaque charitas appellatur Vinculum.Coloſſ.3.verſ.14. & qui verè student diligere , eos ad pacem & concordiam Paulus exhortatur.Roman.12.ver.18. Ut autem sit huiusmodi Christiana charitas,

1 Dicitur non esse inflata.1 Corinth.13.verſ.14. & φυστική. Nihil enim tam charitati contrarium,quam arrogantia animi & superbia.

2 Non irascitur facile vel temerè. Ira enim dissoluit amicitiam.

3 Ergo nō est suspicax,aut suspicioſa, * λογίζεται τὸ κακόν.1. Corinth.13.verſ.5. Serit enim lites & inimicia suspicioſa natura.

4 Non est item Irritabilis, * παρεξύρτηται.1. Corinth.13.v.5.

5 Denique non est Insolens , * ἀρρεδότηται.1. Corinth.13.verſ.4. Itaque huiusmodi est , vt neque dicto,vt est Hier.9. verſ.5. neque facto: sed ne cogitatione quidem quēquam offendat. Zacher.7.v.10.& 8.v.17.

1 Contra verò Christiana , veraque charitas est humilis. Nam eos qui se amaturi sunt exhortatur Paulus ad animi humilitatem & modestiam.Coloſſ.3.verſ.12. Itaque neque iudicium sibi

sibi alter assumit de fratre, neque eum despicit,
sed cedit ei, & honore praeuenit. Iacob. 3. vers. 1.
Roman. 12. v. 10.

2 Est facilis & prompta ad condonandum
& parcendum, si quis offenderit. Itaque ait Paulus *m̄ȳtu s̄eȳt̄*, id est, omnia illata incommoda
placidè tolerat & sustinet. 1. Corinth. 13. vers. 7.
& iniuriam animo æquissimo condonat acce-
ptam. Colos. 3. vers. 13. Charitas enim operit mul-
titudinem peccatorum. 1. Pet. 4. vers. 8. Proverb.
10. vers. 12.

3 Credit omnia magna animi simplicitate,
& ne male suspicetur de quoquam aut falso. 1.
Corinth. 13. v. 7.

4 Sperat omnia, id est, expectat in melius.
Itaque facile non irritatur. Omnia enim in bo-
nam, æquiorēque partem interpretatur, & de
meliori proximi emendatione non desperat. 1.
Corinth. 13. v. 7.

5 Denique patiens est in omnibus, quæ ad-
uersa nuntiantur aut prædicantur *ταομένει πάντα*,
ait Paulus 1. Corinth. 13. vers. 7. Nec tantum il-
lata damna æquo animo fert: sed etiam futura
patienter expectat, adeò ut non se vlciscatur,
neque malum pro malo reddat. 1. Thess. 5. v. 15.
Roman. 12.

Benignitas etiam est secundus veræ, Chri-
stianæque Charitatis effectus. Est enim benefi-
ca & munifica charitas erga eos, quos diligit.
Iis enim & bene vult esse, &, quantum in se est,
benefacit. Et ideo iubentur ij, qui proximum di-
ligunt non tantum ore, sed etiam re ipsa & ope-
re ipso diligere, quia aliâs decipere est, non au-
P. iij.

Cap.20. E T H I C. C H R I S T.

tem diligere. Iacob.2.versu 15.1.Ioan.3.versu 18.

Ergo proximo succurrit charitas & re,&ope,
& consilio. Nam siue rebus bonisque nostris e-
geant, siue opera, industriaque ingenij nostri, si
ue denique vita etiam ipsa, succurrimus iis, quos
verè Christianeque diligimus. Ioan. 15. versu 13.
Eô enim usque progreditur, animatque nos ve-
ra charitas, ut vitam etiam ipsam pro proximis
in pia, iustaque causa, si erit necesse, profunda-
mus. Ergo charitas.

1 Non est Inuidiosa, & alienæ fœlicitatis im-
patiens.1.Corinth.13.ver.4.Iacob.3.vers.14. Ga-
lat. 5.vers. 15. quacunque in re ea fœlicitas pro-
ximo obueniat, siue in bonis, siue in fama, digni-
tateque.

2 Non querit quæ sua sunt, vt Paulus ait.1.
Corin.13.vers.5. Commoda enim propria sper-
nit, ut aliena promoueat, & augeat.

3 Non dishoneste & illaudabiliter se gerit,
~~κακού~~. Corin. 13. vers. 5. ut cum bene co-
perit, deficiat, aut satiscat benefaciendo.

Quid igitur est charitas? quid efficit, gignit,
que in nobis:

1 De alienis bonis æquè atque de propriis
& suis lætatur: gemit etiam de alienis incommo-
dis. Roman.12.v.15.

2 Quærerit, procuratq; ea, quæ proximo pro-
futura scit, aut suspicatur, etiam non rogata illa
aut interpellata, sed sponte sua. Rom.12. vers.11.

3 Denique indesinenter, & incessanter, o-
mnique tempore & ratione, qua optimè potest,
benefacit.2.Thess.3.v.13.

Hebræi sanè 4.hominum genera esse volunt:
vnus

vnum eorum qui dicunt, Meum, meū est: tuum, tuum est: qui planè sunt charitatis expertes. Secundum eorum, qui dicunt, Meum tuum est, & Tuum meum est, qui Mercenariam & Pharisaicam charitatem inducunt. Tertium eorum, qui dicunt, Meum meum est, & Tuum meum est, hi sunt auari. Quartum, eorum qui dicunt, Meum tuum est, & Tuum tuum est, atque hi verè Christianam charitatem habent, qualem Paulus descripsit hoc loco.

Additur autem, *Proximum tuum In quo quæritur, quis sit proximus.* Proxiimi autem nomine omnes omnino homines continentur, cuiuscunque sint sexus, nationis, cognationis, religionis & erga nos affectionis, quos diligere, & quibus benefacere iubemur. *Is.58.vers.7.* Carnem tuam ne despexeris, *Roma.12. versu 18.* Galat.6.versu 10. *Luc.10.versu 30.* Ratio est, quod ea hominum est inter se similitudo, sive corporis fabricam, sive animi constitutionem species, ut nihil ab homine penè homo differat, neque quicquam alteri tam sit simile, non ovum ouo, lac lacti, aqua aquæ, quam homo est hominis. *August. libr.1.de Doctr. Christia. cap.23.* ait esse 4. diligēda, Angelos, Proximos, Nōsipos, & Corpora nostra. *Ephes.5.ver.29.* sed nos propriè hīc Legem Dei explicamus quæ ad homines pertinet, non ad Angelos.

Nam eadem est & vna in omnibus corporis cōpositio & fabrica, omnibus pedes deorsum, caput sursum, binę manus, gemini oculi, vnicum cor, lingua vna, & reliqua similia, de quibus in Anatomicis administrationibus luculēter me-

P.iiij.

dici disputant, ut qui ea in uno nouerit, in omnibus viderit atque intellexerit. Quod si quædam sunt in parium membrorum quâtitate, colore, aptitudine, aut labore dissimilitudines in diversis individuis & hominibus singulis, non sunt tamen illæ specificæ, quemadmodum Dialectici loquuntur, differentiæ, sed quædam varietas ad singulatum individuorum distinctionem à Deo additæ, & ad totius humani generis usum & ornatum necessariæ. Nam ut in eadem dextra manu non sunt omnes digitus eiusdem quantitatis, quamquam tamen eiusdem substantiæ sunt, idque ad commodiorem manus usum & habilitatem à Deo factum est, neque in eodem corpore omnia membra eiusdem coloris ad venustiorem formam, quamquam eiusdem sunt substantiæ: ita in ipso universo genere humano ad maiores opportunitates, habilitatesque non sunt omnes homines à Deo conditi factique eiusdem quantitatis, coloris, & habitus, quamquam tamen omnes sunt eiusdem substantiæ & nature.

Quod autem attinet ad animum, omnes ad unam Dei imaginem creati sumus. Genes. i. ver. 27. 1. Corinthus. ii. vers. 7. Ex quo fit, ut sapientissime Hebrei sua lingua omnes homines nobis οντες & γένους fratris & cognati sive consanguinei nomine commendent. Una enim communis inter se & eadem cognatione omnes continemur. Luc. 10. vers. 30. Itaque omnes inter nos & fratres sumus, & cognati, iisdem parentibus Adamo & Eua primum orti, ab eodem Deo in mundum producti quoque. Genes. 19. vers. 7. Itaque unum tantum patrem, & eum quidem cœlestem, iubemur

iubemur agnoscere, nempe Deum, Matth. 23. v.
9. & à Paulo dicimus non solum ex eodem fe-
mine, sed etiam ex eodem sanguine facti. Act.
17. vers. 26. Lactant. lib. 6. cap. 10. Nam si ab uno
homine, quem Deus finxit, omnes orimus, cer-
tè consanguinei sumus: & ideo maximum sce-
lus putandum est odiisse hominem, vel nocen-
tem. Item si ab uno Deo inspirati omnes, & ani-
mati sumus, quid aliud, quam fratres, sumus? &
quidem coniunctiores, qui animis, quam qui
corporibus. Hactenus ille.

Et hæc quidem non solum à Christianis Theo-
logis consentienter scripturæ tradita sunt: ve-
rūm etiam ab ethnicis Philosophis, imprimisq;
à M. T. Cicerone. lib. 1. De legibus, his verbis. Id
iam patebit, ait, si hominum inter ipsos societa-
tem, coniunctionemque perspexcris. Nihil e-
nim est unum vni tam simile, tam par, quam
omnes inter nosmetipos sumus. Quod si depra-
uatio consuetudinum, si opinionum varietas nō
imbecillitatem animorum torqueret, & flecte-
ret quounque cœpisset, sui nemo ipse tam si-
milis esset, quam omnes sunt omnium. Itaque
quæcumque est hominis definitio, una in omnes
valet. Quod argumenti satis est, nullam dissimi-
litudinem esse in genere. Quæ si esset, non o-
mnes una definitio contineret. Etenim ratio,
qua una præstamus beluis, per quam coniectu-
ræ valemus, argumentamur, refellimus, discri-
mus, conficiimus aliquid, concludimus, certè est
communis: doctrina differens, discendi quidem
facultate par. Nam & sensibus eadem omnia co-
prehenduntur, & ea, quæ mouent sensus, itidem

Cap.20. E T H I C . C H R I S T .

mouent omnium: quæque in animis imprimuntur, de quibus ante dixi, inchoatæ intelligentia similiter in omnibus imprimuntur, interpresq; est mentis oratio, verbis discrepans, sententiis congruens. Hactenus Cicero.

Ergo sexus diuersus non est spectandus, neque fas est, vt fœminæ fœminas tantum diligat: masculi autem mares. Nam & mares & fœminæ se mutuò, & alij alios Christianè diligere debent, quando fratres sunt & una definitione continentur, & ad unam Dei imaginem mas & fœmina creati. Genes 1. versu 27. Et, vt docet Aristot. quid inter marem & fœminam, excepto paucarum quarundam partium usu, interest?

Neque etiam regionis nationisve diuersitas spectanda, quando, vt Christus docet, Indox proximus fuit Samaritanus, non Iudeus. Luc. 10. vers. 30. Præterea diuersus regionis situs naturalia illa cognitionis humanæ iura non tollit, aut extinguit. Sæpe enim accidit, vt fratres ex istud parentibus peregrinantibus, diuersis tam in locis, nascantur: & qui in eadem domo & loco nati sunt fratres, diuersis tam in regionibus habitent, qui non propterea fratres esse desinunt. Vniuersus enim mundus est hominum dominus & domicilium. Laetant. lib. 6. cap. 11. Quid personas eligis? quid membra inspicis? Pro homine tibi habendus est, quisquis ideo precatur, quia te hominem nouit. Largitor cæcis, claudis, debilibus, destitutis, quibus nisi largiare, moriendum est: inutiles sunt hominibus: sed utiles Deo: Hæc Laetant.

Neque etiam religionis diuersitas spectanda est.

est. Sunt enim omnes homines ad Dei vnius imaginem creati. Gen. i. vers. 27. Quanquam tamen Dei filiis & fidei domesticis imprimis est benefaciendum. Galat. 6. vers. 10. inter quos non tantum illa, quæ superius exposuimus, communia sunt, sed hæc quoque arctiora vincula & fortissima, eadem fides, idem Deus, idem Baptisma, eadem hæreditas cœlestis, idem denique Christus & Ecclesia. Ephes. 4. ver. 4. 5. 6. quæ res nos magis illis obligant, quanquam tamen omnibus est benefaciendum.

Sed neque sanguinis, familiaeque, ex qua oriundi sumus, diuersitas afferenda. Quanquam enim plus parentes, quam qui non sunt: plus fratres, quam cognati diligendi sunt: & in Christiana charitate sunt certi gradus obseruandi, arctioraque inter has quam inter illas personas vincula: sumus tamen, ut ait Paulus, omnes ex eodem sanguine. Itaque sunt omnes diligendi, Actor. 17. versu 26. Lactant. lib. 6. cap. 12. Nam qui bonum facit vel consanguineo, vel proximo, vel amico, aut nullam, aut certè non magnam laudem meretur, quia id facere debet, estque impius ac detestabilis, nisi id fecerit. Qui autem facit alieno & ignoto, is verò dignus est laude, quoniam, ut faceret, sola ductus est humanitate.

Denique neque ipsa eorum, quos amamus, aliena à nobis affectio & animus auersus spectandus est, qualis est eorum, qui nobis sunt inimici etiam capitales. Nam & hos diligere debemus, & iis benefacere, neque tantum eorum bonis & rebus succurrere, quantum in nobis est,

Cap.20. ETHIC. CHRIST.

Exod.23.ver.4,& 5.sed etiam personis, idque libenter & amico prompto que animo, si vere Christiani sumus, Matth.5. vers.44. Ergo si inimicus esurit, cibandus est : si sitit, potandus est, vt Paulus ait, Roman.12.vers.20. Proverb. 25. v. 21. Neque obstat, quod est 2. Samuel 19. ver.6.& Hesiod.lib.1. ἡ πάντων καὶ οὐκέπονη. Nam illud dicitur ex sensu humani sententia, non ex diuini verbi mente. In quo tamen ipso valde notanda est Hieronym. haec sententia, quae extat libr. 1. contra Pelagianos, Praeceptum est mihi, ait, vt diligam inimicos, & orem pro persecutoribus. Numquid inssuum est, vt ita diligam quasi proximos & consanguineos & amicos? vt inter amulum & necessarium nulla distantia sit? Si inimicos diligo quasi proximos, amicis quid amplius exhibeo? Aut si hoc dixeris, illud tacere debueras, ne contraria sibi in eodem loco dicere videaris, inimico nunquam esse credendum. Sed quomodo diligatur inimicus, & Lex docet, iumentum aduersarii, si ceciderit, subleuandum. Et Apostolus, si esurierit inimicus tuus, cibailum: si sit ierit, da illi potum. Hoc enim faciens carbones ignis congregabis super caput eius, non in maledictum aut condemnationem, vt plerique existimant: sed in correctionem, resurrectionem, & plenitudinem, vt superatus beneficiis, odij igne excocto frigore charitatis inimicus esse desinat. Hec Hieronym. vide Thomam in 2.2æ. quæst.24. Bernard. vero haec sententia, quæ est Sermo.50. Cät. Porro inimicum hominem, quoniam nihil est, pro eo quod non diligit Deum, nō potes quidem diligere tanquam teipsum,

psum, qui Deum diligis: diliges tamen, ut dili-
gat, est subtilior, ut tota illius loci disputatio
de charitate.

Additur in summa, *Sicut teipsum*. Quæ sanè
comparatio non metam, aut regulam, finemque
charitatis ostendit, quem spectare debemus: sed
modum tantum, alacritatemque, & vehementiam
animi & ardoris in succurrendo, & iuuando pro-
ximo. Neque enim ex eo legitimus & rectus a-
mor noster erga proximum iudicandus est,
quod sic & ad eundem finem eum diligimus,
propter quem & nos ipsos. Nam plerunque, &
ut plurimum cœcus est amor nostri, & semper
in vitio habita est φιλανθία, & ita se plerique a-
mant, ut quod in se pessimum est, foueant, velut
voluptatem, auaritiam, iram. Quod autem optimum
est negligant, veluti Dei metum, morum
emendationem. Quo modo & fine si quis alium
diligat, vitiosa est ista dilectio, & illegitima, & à
Deo damnata. Sed quia ad nos nostraque pro-
curanda, agenda, & promouenda valde seduli &
vehementes, diligētes & alacres sumus, eadem
& tam alaci opera & animo in rebus & perso-
nis, ut aiunt, aliorum procurandis appareamus.
Itaque cō pertinet illa similitudo & compara-
tio, *Sicut teipsum*, Matth. 7. ver. 12. Aliter Scho-
lastici sentiunt, charitatem bene ordinatam in-
cipere à scipso, quia regula est prius quam re-
gulatum ex ea. Sed illi perperam, qui nos & a-
morem nostri veram Christianæ charitatis re-
gulam esse putant.

Quem autem finem in proximis diligendis
spectare, & quam nobis regulam statuere de-

Cap.20. ETHIC. CHRIST.

beamus, alia docet comparatio. Nempe ut proximum diligamus, sicut Christus nos amavit, Ioan. 15.vers.12. Ex quibus omnibus quæ sit secundæ tabulae vis & summa intelligitur.

Optimè autem & cōuenientissimè addi huic loco posse videntur quædam argumēta, ex quibus ad illam fraternalm proximi charitatem excitemur atque inflammemur, quæ nos non omnia colligemus, sed aliqua tantum, quæ tradit Scriptura. Ex quibus illud certè

Vnum est, Proximos diligendos, quia id fieri Deus iubet, cui non parere nefas est, Ioan. 13.v. 34. & 15.v.12.

Alterum, Quia omnes Dei unius eadem imago simus, Genes.1.v.27.

Tertium, Quia pulcherrimum omnium, quæ sub cœlo sunt, Dei operum opificium sumus, nos homines. Itaque si quod Dei opus amandum est, unus maximè homo est diligendus.

Quartum, Quia cum mutuum hominum inter se amorem natura ipsa conciliat, quam si ducem sequimur, nos mutuo diligemus, ita similes inter nos sumus omnes, ita arctis omnes inter se societatis vinculis sumus coniuncti, vt qui alium odit, penè seipsum odio prosequi videatur.

Quintum, Illa spiritualis coniunctio, quæ est inter omnes Christianos, satis eos inter se conciliare debet, id est, eadem fides, idem baptisma, Ephes.4. v.4.

Sextum, Ipsa humanæ conditionis ratio, nos ad hoc ipsum exhortatur. Nā cùm sit homo animal natura πολιτικὸς & gregabile, sui generis &

& speciei alios amet necesse est. Vnde vox illa est apud Terentium. Homo sum , humani à me nihil alienum puto. Et humanitatem, quæ nihil aliud est, quām promptus & proclivis ad benefaciendum iis animus , qui sunt nostri generis, ab homine dictam & appellatam omnes tradunt , quia homines ex omnibus animalibus cā retinent & innatam gerunt,

Denique ipsius humanæ conuersationis vtilitas id exigit. Nam quanquam Deus hominem præstantissima conditione creauit , noluit tamē esse in hac vita , & iis quæ ad eā necessaria sunt, ἀνταρκτική, sed omnis vitæ nostræ pars , sexus , ætas, status, conditio, alieno , id est , hominis alterius auxilio eget. Neque enim quisquam est ita locuples , & rebus omnibus , quæ ad usum huius vitæ pertinent, abundans , ut egeat nemine. Ergo ea necessitas , & , quæ ex homine percipitur vtilitas , mutuoque ab homine redditur & præstatur, homines inter se conciliat, quia mutuis se auxiliis egere sentiunt & vident. Itaque vel ex ea una causa se amant, *i. Ioan. 4. vers. 20.* Præclarè enim dictum est ex nullo alio animantiū genere ab homine tantam vtilitatem & commoditatem percipi, quanta ex alio homine capitur. Vnde natū proverbiū, Homo homini Deus. & illud Pauli notandum ex Galat. 5. v. 15. Si alij alios mordetis & deuoratis, videte ne vicissim alij ab alijs consumamini.